



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XVIII. Capitula disciplinæ causâ instituta esse, & eorum modus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

etiam fratrum coætorum trahere. Publice viuere, & omnium actorum, verborum, imo processum habere testes. Eam esse de se opinionem, vt honestissimus quisque conuersationem eius familiaritatemque optet. Non est indignum prelato conuictores habere Ecclesiæ Clericos, quos confratres appellare consuevit. Non enim lucri cupiditate, sed amore disciplinæ domum aperit, tanquam refugium alias periclitaturis, & palæstram studiorum, & virtutum, alias minus profecturis. Concilium Mediolanense l. §. de familia Episcopi. Eum autem vehementer hortamur, vt in familia, quam plurimos possit, habeat Clericos, qui non nisi clericali vestitu vtantur, & in illis si commode fieri possit, nimirum duos sacris initiatos, & bonæ existimationis, qui vigilantem, & in opera misericordiam incumbentem, ac diuinarum literarum mysteria scrutantem Episcopum studiosius attendant, eiusque actionum, & sanctæ conuersationis quasi testes sint, & imitatores. Habeat deinde Ecclesiasticam personam, spectatam & probatam, quæ præfecta sit moribus familiae, ac de omnium salute sollicita; spirituales vitam sustineat, eamque bonis & pijs artibus, ac literis, præsertim sacris, pro cuiusque sensu, & intelligentia, erudiendam curet.

Prelati se cum plurimos habent clericos.

Si honor est Episcopi Clericorum multitudo, cur non in Germania prælatorum, aut insignium canonicorum.

Coniunctio multorum celebriora reddit officia diuina.

§. 11. Fauere autem huic rei omnes Collegas oportet, nam & bonum inde nomen Ecclesiæ conciliatur, & frequentia maior in officiis diuinis erit. Si enim decem cum aliquo canonico alii habitent, non facile cum præsentibus aliorum diligentiam intuentur, ipsi aut domi remanebunt, aut alio se conferent; facit n. verecundia, vt raro delinquat, rara delinquentia inducit vsum virtutis; quia rarum malum non est, nisi cum spisso bono. Nunquid decem omnes simul emanebunt, tum quia bonos esse statuimus, tum quia in negligentiam culpabilem nunquam omnes conspirabunt. Quin ipse tam honoratæ societatis paterfamilias non æquo animo feret, eorum, quos domesticos habet, ignauiam. Aberunt etiam illa mala, & pericula, quæ a diuinis officiis omnino auocant.

Sumptus declinatur, vt superflui pauperibus.

§. 12. Quantum vero sumptibus detrahatur, id maxime sentient illi, qui communis vitæ dare voluerint. Pro decem focis lucebit vnus, non suppellectilis, non sartorum tectorum, non famulantium vel periculosa castitati, vel infidelia patrimoniis obsequia alenda, non conuiuiorum sumptus, non contractuum; nec tamen deferi hospitalitatem necesse fuerit, erit enim illa communis, plusque conferre singuli hospitalibus poterunt, quam nunc faciant vniuersi.

Ne vero hæc res in dubium vocetur; Aio nunc furto, & malignitate familiae, canonicis ditioribus plus perire, quam in annum victum impenderent, si plures simul habitare vellent. Quid vero, dices, opulentia illa sacerdotali facies? Respondeo restituendas opes Christo. Bonum factum; parce viuere, vt pauperes liberaliter pascas. Hoc qui negat suæ dignitatis esse, ille æquum putat, esuriente Christo, se lautum esse.

Ægris parua solatia inter seculares, vel solitarie habitantibus.

§. 13. Hanc denique coniunctionem plurium suadet ipsa necessitas, vt ægri sibi mutuo, morientisque solatia præstent; nam dura est profectio eorum conditio, qui ægri vix fida adiutoria habent, quorumque res inter ipsa funera rapiuntur. Quod non modo canonicis, sed Episcopis & Cardinalibus interdum contigisse constat.

Itaque consultum foret, sumptu, priuilegio, fauoreque eos iuuare, qui velin collegiatis Ecclesiis confratres suos æquo precio ad mensam suam adhibere, vel aliorum conuictores esse volunt.

Possentque eum in finem laxiores ædes, hortique concedi.

Vbi autem fieri potest, id agendum, vt plerique simul, aut sane nemo inter sæculares habitet.

Nec quicquam obstat, quo minus statuatur, vt omnes, qui capitulares non sunt, nec in studiis versantur, non libere, & suo arbitrio sibi diuersoria eligant, sed statuto capitulari apud virum aliquem grauem propriæ vel alterius Ecclesiæ habitare iubeantur, & vitæ suæ testimonium admittendi ad capitulum adferre.

Possent autem iudicio capituli, aut Episcopi designari viri prudentes, graues, bonique exempli. Nam absoluti, aut abruptis studiis, in summa libertate iuniores canonici facile aberrant.

Nec modo id in iunioribus, sed adultioribus etiam sensum inducendum arbitror, quamuis ad senatum seu capitulum sint admissi. Salubrique decreto licentiæ frena iniicienda. Quid enim graue fuerit, si tale statutum fiat? Quandoquidem multorum casus pro dolor nos docuerunt, in promiscua habitatione cum sæcularibus magna pericula esse, multosque boni propositi iuuenes, & viros mala societate à pietate abducos; capitulum pro suo officio, volens omnium & singulorum saluti consulere, irrefragabiliter statuit obseruandum.

PRIMO, vt iuniores canonici, qui studiis operam dant, siue in vrbe suæ residentiæ id faciant, siue diffitis Academiis, hospitium non nisi cum Scholastici consensu & approbatione accipiant, & si ei visum fuerit, mutent, certo scientes, fore vt pro toto tempore, quo non obtemperauerint, fructus illis tanquam suspensis negentur. Statuet vero Scholasticus, vt non nisi apud parentes, tutoresque sint, vel in seminariis, vel apud exemplaris vitæ, modestæque familiæ Ecclesiasticæ diuersentur, qui etiam de domestica conuersatione capitulo rationem reddere tenebuntur. Quod si apud honestos, piosque ciues habitare voluerint, id non sine capituli consensu permittetur. Idem statutum est de illis, qui studiis non vacant, nec in capitulo tamen sunt, quos omnino prope templum, apud confratres habitare volumus. Denique idem consuevit de omnibus, qui intra annum vicesimum sunt, quos senum exemplo in pietate proficere, nec rerum domesticarum cura occupari conuenit.

Hæc aut similia, vel strictiora, vel laxiora, si sensum inducantur, absque labore reformatio sponte sequetur.

De parochiis dicam peculiari loco.

CAPVT XVIII.

Capitula discipline causa instituta esse, & eorum modus.

§. 1. CAPITVLVM voco selectum Ecclesiæ seclatum iure & ordine congregatum; duplex vero est Cathedrale, & Ecclesiarum priuatarum, nam de religionum capitulis modo non agimus.

§. 2. Capituli nomen à religionum capitulis fluxit, cum enim plerisque in Ecclesiis vbi nunc Clerici, seu canonici degunt, fuerint religiosi, hinc factum est, vt nomina quædam & caeremonias religionum retinuerint, postquàm in canonicos mutati sunt. Res tamen antiquissima est; nam Episcopi olim cum fratribus suis; hoc est, consilio presbyterorum res arduas deliberabant, & eorum concilio exquebantur, ita normam habemus Apostolicam. Nam Apostoli loco Episcoporum, presbyteri vero sacerdotum loco fuerunt. Erant vero tum presbyteri siue seniores, qui Actorum §. in concilio cum Apostolis sedent;

Imo saluti iuniorum necessarium est tale statutum.

Statutum lenè, & utile de vitæ communis clericorum.

Capitulari causa.

Plerique canonici & Monachi sunt.

Capitulum
refert con-
cilium pres-
byterorum.

dent; Conuenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc Item non modo Apostoli, sed & seniores scribunt Antiochenis. Hieronymus etiam tradit communi presbyterorum consilio Ecclesias gubernatas, postea tamē obortis schismatis presbyteri tantum assessores Episcoporum fuerunt. Episcopi tamen iudices presbyterorum fuerunt. Sic i. Tim. 5. Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus. Poterat igitur apud Episcopum accusari presbyter, iudex ergo presbyteri Episcopus. Hoc ergo presbyterorum consilium nobis capitula referunt, quamuis sacerdotes omnes non sint, qua quidem in re vsus obtinuit contra veteres canones, ut etiam subdiaconi, & diaconi sacerdotibus æquantur, quoad gubernationem, archidiaconi etiam saepe in sacerdotes potestatem exerceant.

Capitula
discipline
sunt obser-
uanda.

Quid agen-
dum in ca-
pitulis.

Monasteria
ad prima-
nam regulā
reforma-
nda.

§. 3. Magna nunc est in Ecclesia auctoritas Capitulum præsertim cathedralium, eaque utilis, & Ecclesiarum conservatrix. Nam capitula disciplinæ inuigilant, cum Episcoporum absentia, negligentia, occupatio, valetudo eam curare nequit. Monet Concilium Colonienſe 2. anno 1536. celebratum, cap. 14. part. 3. Capitula vero disciplinae (que vocant) multo maiori diligentia obseruentur, atque hæcenus. Id ita fiet, si non tam prophana quam res sacra in his tractentur. Si de moribus inquiratur, si vita expendatur singulorum, & quod olim sancti patres fecisse dignoscuntur, ex temporali oratione interdum commonerentur fratres. Et in primis ad sacras litteras capeſcendas instigarentur, atque ut in his optimas horas collocarent, incitarentur, quod hic reperitur fons vite, saturiens, ex quo qui haurit, non sitit in æternum. Hic thesaurus Euangelicus, propter quem oportet vendere vniuersa, reconditus sit, ex quo prudens ille pater familias profert noua & vetera.

De monachorum capitulis pari modo Concilium Augustanum anno 1548. celebratum c. 12. Monasteria cuiuscunque ordinis, secundum regulas quas professi sunt, reformari, ipsosque monachos in obedientia & religione sui ordinis contineri, Capitulum disciplinae frequenter seruari, vitia illic quotidie subnascencia seueriter corrigi, cultum diuinum reuerenter & debite seruari, concubinos, adulteros, ebrios, criminosos, infames, suspectos de heresi, aliusque criminibus, penitus debite castigare, habitum de auctoritate diligenter seruare, adscripta & bibliothecæ studioſe curari, prædica, census, & iura conseruari præcipimus, repugnantes aut reformationis impatientes seueræ coercionis debitis mediis castigaturi.

Quoniam veto promptum est, cum de iuribus, prouidentibus, aliisque rebus agitur conuenire, & quibusdam in locis disciplinæ rari conuentus habebantur, nonnullæ Ecclesiæ sapienter ac pie statuerunt, ut in capitulis maior ratio pietatis haberetur, ita Mediolanenſis 2. decret. 13. In singulas hebdomadas canonicis cuiusvis Ecclesiæ Capitulum habeant, in quo cum quaratur, an superioris Concilii decreta de diuinorum officiorum ratione seruentur, an si qui item errores in sacramentorum caeremoniarum ritu commisi sint, cum legatur pars aliqua earum rerum, quæ de vita & honestate clericorum nostris constitutionibus præscriptæ sunt, vel illarum, quæ Catechismo Romano, aut aliis item libris expressæ ad Christianæ pietatis doctrinam, vitæque Ecclesiasticæ disciplinam & rationem pertinent: tum etiam in aliis spiritualis vitæ exercitationibus ipsi versentur: idque omne prout Episcopo, Capituliue Præfecto visum erit. Quo in Capitulo ne quidquam aliud quod ad rerum temporalium curam, ac procuracionem pertinet, prius agatur, geraturque, quam ea tractationis ratio habeatur, quæ tota in rebus spiritualibus posita sit.

Imitami hoc omnes Ecclesiæ; nam Ecclesiæ vastitas, ornamentorum multitudo, iura, opes, nobilitas eo omnia referuntur, ut pietas vigeat, ut diuini officii cultus, cum deuotione, & animorum puritate peragatur.

Episcopi in
capitulum,

§. 4. Omnino expedit ut Episcopus in capitulum magnam potestatem habeat, & capitulum vicif-

sim in Episcopum. Non est illa sibi contraria, sed bono publico salutaris, & disciplinæ Ecclesiasticæ necessaria potestas. Primo de capituli cathedralis potestate dicam.

Prima est: Posse ab eo sede vacante hæreticos excommunicari. ita decret. 1. s. t. 7. c. 9. Vniuersus, qui de sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de baptismo, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis sacramentis, aliter sentire, aut docere non metuit, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & obseruat, & generaliter quoscunque eadem Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi per diocesæ suas cum consilio clericorum, vel clerici ipsi sede vacante cum consilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum, hæreticos iudicauerint: vinculo perpetui anathematis innodamus.

Secunda, ut collegarum singulos arceant à sacris, fructu priuent, ita omnibus in locis. Et pulchra est Delinquen-
constitutio Synodi Colonienſis anni 1549. Si quos de-
canus rebelles cernat, si diuini cultus atque sui officii negligen-
tiores, si rixosos, si litigiosos, si percussores, si aleatores, si corti-
fouentes, aut alii publicis criminibus irretitos, atque hi si frat-
nam correptionem audire recusauerint, agat in his capitulis
quod iubet Paulus: Peccantes coram omnibus argue: Tum se
reſpiciere nolint, arceat à sacris, prohibeat participare fructibus,
donec ad meliorem vitæ frugem reuertantur, sic tamen, ut hic
seruetur regula Apostolica: Corripite inquietos, consolamini
pusillanimes, patientes estote ad omnes, & neque ira, neque o-
dium, neque rancor vllas sibi partes vendicat. Nam illa præpo-
sitorum sollicitudo est utilis, illa cautela est laudabilis, in qua con-
totum ratio agit, & furor nihil sibi vendicat. Ira enim sepe ni-
etiam innocentes ad crimen inducit. Dum enim iusto amplius lum in di-
traſimur, & volumus aliena coercere peccata, grauiora com-
mittimus. negligentia.

Per hæc tamen nostris, ac Ecclesiarum prouincia nostra pri-
uilegiis ac legitimis consuetudinibus, & præsertim morac-
consuetudinis, quæ in aliquibus Ecclesiis est, (nempe ut causa gi-
disciplina per diaconos diuidatur) nihil prauidamus: mo-
do tamen diaconi, ad requisitionem Decani, suo officio gra-
uiter ac strenue incumbant ac satisficiant. Quod si Decanus
& Capitulum, negligentes, aut eisdem criminibus irreti-
ti fuerint ad iuris communis dispositionem redire necesse
erit.

TERTIA, ad fideliter pronunciandam senten-
tiam, aliaque iuramenta capitulares, præsertim ad
obediendum Decano alstringere. Id quoque in v-
su est; sed interdum nimium multa exigunt iura-
menta, quod Synodo Colonienſi merito displicuit,
c. 20. Et quum Christus tanto serio iurandi facultatem pro-
hibuerit, ut nisi necessitate veritatis, aliqui periclitande, co-
gamur, omnino iurare non debeamus: coercenda est illa im-
moderata in Capitulis iuramentorum exactio, per quam ne-
cesse est, ut multi in ancipitia periuria corruant, quorum non
tantum illi qui pœterant, sed & qui causam periurii temere
exigendo præstant, rei sint. Nam Christi verbum est: sit verbum
vestrum, Est, est: non, non: quod amplius est, à malo est. Et in
Ecclesiastico legimus: Vir multum iurans, replebitur iniquita-
te, & non discedet à domo eius plaga. Si nos ipsos diuidicare-
mus, non vti que iudicaremur.

QUARTA, quæ plurimum capitulum cathed-
ralium cteuit auctoritas, est Episcopus, Archiepi-
scopusque eligendi potestas; cum enim frequenter
pontifici obreperent callidi homines, cum popule-
lectio tumultuosa esset, cum prælaturas venderent
Imperatores, deuoluta est ea potestas ad capitula,
quæ electiones fidelius, sincerius, constantiusque
tenuerunt. Et tanquam optimates Ecclesiæ sacerdo-
tem eligere solent. Non ignoro quorundam capitu-
lorum pudenda fuisse errata, dum sibi, vel suis vitis
commodum Episcopum, Ecclesiæ vel inutilem, vel
perniciolum elegerunt. Nechorum dedecorum ex-
empla nostris temporibus defuerunt, sed multo pau-
ciora, & minus nocentiora fuerunt, quam vetera. Neque

& huius in
illius potestas.

Delinquen-
tes corrige-
re tenentur.
superiora.

Si archidia-
coni, Deca-
ni, Capituli
in di-
sciplina sunt
negligentes,

Iureiuran-
do obstringi-
gunt suos,
sed parca id
faciendum.

Episcopi t-
legunt ca-
pitula.

Minus er-
rant capi-
tula quam
cetera dele-
tores.

Neque enim in vnum improbum facile capitulares omnes, cum inter eos multi boni, docti, prudentesque viuunt, conspirabunt.

Porro electio Capitulis conuenit has in leges.

Leges electio-
nis.

1. Canonici eligant praelatum, nisi alteri id iuris conueniat. 2. Pueri, quique subdiaconi non sunt, ne eligant. 3. Nec excommunicati, suspensi, haeretici, abfentes, nisi legitima sit causae absentiae. 4. Si non eligant praescripto tempore, & modo, ius eligendi ad superiorem proximum deuoluatur. 5. Si scientes indignum eligunt, ut concubinarium, ius eligendi amittunt, idque ad pontificem transfertur. 6. Qui indignum eligunt triennio inhabiles sunt ad passiuam vocem, non enim eligi debent, qui improbum, aut indignum elegerunt. 7. Electus vero confirmationem a pontifice habeat, oportet. 8. Ante omnia iurati suffragium dant, & sua consuetudine plerisque in locis sumpto Eucharistiae sacramento. 9. Electum, aut eligendum nulla promissione contra canones obstringant.

QVINTA, possunt etiam praelaturas quasdam tollere, sed opus habent confirmatione facti. Ita Tullenses Canonici primiceriatum sustulerunt, redditibus inter canonicos distributis. Quasdam etiam praeposuit in Ecclesiis tenuibus diuiserunt nostro tempore, quod negant, sibi opus esse praeposito.

Lib. 1. decret. t. 11. c. 8.

Augere possunt numerum capitularium.

SEXTA, possunt canonici certum numerum canonicorum in capitulo constituere, non tamen praebendas diuidere, aut suppressere. Possunt facultatibus auctis plures canonicos admittere. Ut vero non possunt suppressere praebendas, ita nec accedere, onera noua imponere, siue corporalia, siue pecuniaria, nisi ea, quae in communi sunt, ut omnium beneficia aequabili proportionem grauentur, alioqui iuniorum quotidie deterior conditio redderetur. Quae de re passim multa sunt iure constituta, contra quae nihil facit ius priuatum, seu statuta capitularia. Irrita enim sunt ipso iure, quae in praedictum iuris communis a paucis constituuntur.

Omnia statuta capitularia contra ius commune irrita sunt.

SEPTIMA, vocem, seu ius suffragii nemo, nisi subdiaconus habeat. Ita Trident. Sess. 22. Quicumque in cathedrali, vel collegiata, faculari, vel regulari Ecclesia diuiniu mancipatus officii, in subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit: vocem in huiusmodi Ecclesiis in Capitulo non habebit: etiam si hoc sibi ab alio libere fuerit concessum. Si vero, qui dignitates, personatus, officia, praebendas, portiones, ac qualeslibet alia beneficia, in dictis Ecclesiis obtinent, aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, ut alii missas, alii Euangelium, alii epistolas dicant, seu cantent: quocumque in privilegio, exemptione, prerogatiua generis nobilitate in signiti: teneantur, iusto impedimento cessante, infra annum ordines suscipere requisitos: alioquin poenas incurrant, iuxta constitutionem Concilii Viennensis, quae incipit. Ut ii, qui: quam praesenti decreto innovari cogantur Episcopi eos diebus statutis dictos ordines per seipso exercere, ac cetera omnia officia, quae debent in cultu diuino prestare: sub eisdem, & aliis, etiam grauioribus, poenis, arbitrio eorum imponendis. Nec alius, impofterum fiat prouisio, nisi iis, qui iam etatem, & ceteras habilitates integre habere dignoscuntur: aliter irrita sit prouisio.

Iuniores prauos a capitulis arce-
re possunt.

Ita per statuta Ecclesiarum omnium, quas quidem memini, & iura communia, consuetudoque corroborat.

OCTAUA, prauos domicellares arcere a capitulo possunt, nec potest eos Episcopus cogere, ut recipiant. Moguntinum Concilium anno 1549. sub Sebastiano celebratum, ita statuit.

Hactenus in Ecclesiis cathedralibus & collegiatis (saltem in ea parte, quae maiores nostri, non sine magna ratione, iuniores canonicos, quos Domicellares vocant, non statim ut beneficia acceperint, ad Capitula admitti, sed ad tempus sub iugo

praelatorum detineri voluerunt) satis negligenter aduigilatum esse, non sine Ecclesiarum perniciem sentimus, dum hi, quibus ea cura incumbit, ad studia & mores Domicellarium parum attendentes: si modo Domicellares certum tempus in beneficii possessione exegissent, aut pecuniam pro emancipatione constitutam numerassent: sine ampliori delectu quosuis ad Capitula admiserunt, etiam eos, quos nec vita honestate, nec doctrina satis idoneos, aut Ecclesiis utiles futuros norint. Vnde fit, ut interdum Ecclesia, minus virili Canonico- rum turba onerata, nec in spiritualibus, nec in temporalibus, debitis obsequiis administrantur.

Pernicies Ecclesiarum ex Domicellariarum admisione.

Quarum indemnitati consulere volentes, Praelatorum, Capitulariorum & aliorum, quorum interest, conscientias duximus onerandas, hisque districte precipiendo iniungimus, in posterum, non secundum praesentem consuetudinem (qua ut in hac parte, ut Ecclesiis perniciosa, irrationabilis, aut potius corruptela censenda est) quoslibet, sed secundum conscientiam idoneos tantum & dignos, ad Capitula, praesertim Metropolitani & Cathedralia, admittant. Praui vero moribus deductos & ignauos, tantisper a Capitulari dignitate & emolumento arceant, donec emendatione vitae locum hunc mereri videbuntur: aut si contra omnem emendationem praeracti, & incorrigibiles se exhibere per seuerauerint, ad dimissionem beneficii remediis iuris, tanquam inhabiles & insufficientes ac minus idoneos, prorsus cogant. Quae constitutione nostra, & ipsi Praelati & Capituli, ut officio suo diligenter in vigilent: & iuuentuti Ecclesiasticae, ut vita ingenuae cultum accuratius studio capeant, occasionem, praestari arbitramur.

Praui & ignaui ad capitulum non admittantur.

Domicellares inemendabiles priuandi beneficio.

NONA, Alienatio Episcopi sine consensu capituli irrita est, ita Concilium ad Valentiam, & decret. l. 3. t. 10. c. 1. Irrita erit Episcoporum donatio, & venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticae, absque collaudatione, & subscriptione clericorum.

Largitiones ex bonis Ecclesiarum irritae.

Legitima ratio est, & ex aequitate; cum enim res Ecclesiasticae sint tales, quibus ministri, Ecclesiae, pauperes, iustitia defenditur, facta testata templorum restaurantur, non debent alienari absque scientia eorum, quorum interest, leges vero illas multorum praesulum vitia fecere, qui bona Ecclesiarum magnarum, ministris, assentatoribus dare, aut exiguo precio diuendere solebant; ad eas res comprobandas non facile capitulum adduci potest.

DECIMA. Imo eadem de causa nec publica Ecclesiae negotia sine consilio capituli tractare praelatus debet.

Negotia publica Ecclesiae cum capitulo tractanda.

Statuit Alexand. 3. hanc legem. Decret. l. 3. t. 10. c. 4. Nouit tua discretionis prudentia, qualiter tu & fratres tui vnum corpus sitis, ita quod tu caput, & illi membra esse probantur, unde non decet te omis membris, aliorum consilio in Ecclesia tua negotiis vri: cum id non sit dubium, & honestati tuae, & sanctorum patrum institutionibus contraire. Innouit si quidem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum, abbates & abbatissas, & alias Ecclesiasticas personas instituis, & destituis: & infra adeoque id auctoritate Apostolica prohibemus: & infra. Nos enim tales institutiones & destitutiones carere decernimus robore firmitatis.

Etc. 5. Fraternitati tuae mandamus, quatenus in concessionibus, & confirmationibus, & aliis Ecclesiae tuae negotiis, fratres tuos requiras, & cum eorum consilio, vel senioris partis eadem peragas & pertractes: quae statuenda sunt statuas, & errata corrigas, & euellenda disipes & euellas: Absentium quoque fratrum nomina inscribi non sinas: quia talia munita irrita sunt & falsa, & tu exinde questionem falsi poteris merito formidare.

VNDECIMA. Nec sine capituli consensu alias Ecclesias, aliis date potest. Ibidem c. 8. Adieciſti etiam, utrum Episcopo vel Electo, cum solo Archidiacono praeter assensum maioris Ecclesiae, cum ab ipsa eligatur Episcopus, & archidiaconus assumatur de ipsa, canonicis vel Ecclesiis conuentualibus, ad quas ius pertinet patronatus, liceat conferre perpetuo vacantes Ecclesias baptismales: & infra: Alterius etiam

kk 2 qua-

quaestiois solutio ex Epistola Leonis Papa colligitur euidenter, in qua legitur: Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiae quicquid donare, vel permutare, vel vendere audeat: nisi forte aliquid bonum faciat ut meliora prospiciat: & cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiae profuturum. Irrita enim Episcoporum donatio, venditio, & commutatio rei Ecclesiastica, erit absque conuiuentia & subscriptione clericorum, per hoc enim noueris solutam secundo loco propositam questionem: cum concessionem Ecclesiarum perpetuas, ad alienationes non sit dubium pertinere.

DVODECIMA. Valet tamen concessio Episcopi, si capitulum postea ratam habeat, ibidem cap. 3. Certum est, de rigore iuris concessionem illam non tenere, quā reclamante capitulo per praedecessorem tuum constat factam fuisse. Nisi eam ratam postmodum habuisset.

Olim taciturnitas capituli ratam faciebat, ibidem cap. 2. Nunc merito ex statutis apertum, & scripto consignatum consensum requirunt. Leges enim bonae ex malis moribus factae sunt.

Capitula cathedralia ad Synodos admittuntur.

DECIMATERTIA. Capitulum Cathedralium priuilegium est, ut ad Synodos prouinciales admittantur, ita decretal. l. 3. c. 10. Prouincia Senonensis capitula Cathedralium Ecclesiarum ad nos queremoniam transmissit quod Archiepiscopus Senon. & eius suffraganei, procuratores eorum nuper ad prouinciale concilium conuocatos, ad tractatum eorum admittere noluerunt: & infra. visum fuit nobis & fratribus nostris, ut capitula ipsa ad huiusmodi concilia debeant inuitari, & eorum nuntii ad tractatum admitti: maxime super illis, quae ipsa capitula contingere dignoscuntur.

Tota disciplina capituli est in manu Episcopi, in ne-gociis idem pender à capitulo.

Hinc itaque apparet optime ordinatam esse Ecclesiam, in qua plurimum potestas adificationem antistes, ut tota disciplina sit in eius manu; nec ab ea ullus appellare possit. Minimum vero ad destructionem, in iuribus, bonisque vendendis, donandis, aut quocunque titulo alienandis, in canonicis sine legitimo examine admittendis.

Qui iurat in capitulo contra canones excommunicatur.

DECIMAQUARTA. In capitulo pars maior & sanior praeualeat, nisi minor cum ratione contradicat. ita decret. l. 3. t. 11. cap. 1. Cum in cunctis Ecclesiis quod pluribus & sanioribus fratribus visum fuerit, incunctanter debeat obseruari: grane nimis est, & reprehensione dignissimum, quod per quasdam Ecclesias pauci quandoque non tam de ratione, quam de propria voluntate, ad ordinationem ecclesiasticam procedere non permittunt. Quocirca praesenti decreto statuimus, ut nisi a paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter obiectum fuerit & ostensum, appellatione remota praeualeat semper, & suum consequatur effectum, quod à maiori & saniori parte capituli fuerit constitutum: Nec constitutionem nostram impediat, si forte aliquis ad conseruandam ecclesiae suae consuetudinem, se iuramento dicat astrictum: Non enim iuramenta, sed potius periuria sunt dicenda, quae contra utilitatem ecclesiae & sanctorum patrum veniunt instituta. Si quis autem huiusmodi consuetudines, quae nec ratione inuuantur, nec sacris congruunt institutis, iurare praesumpserit: donec dignam egerit penitentiam, à perceptione sit Dominici corporis alienus.

Non seruanda sunt im-pia iuramenta.

Itaque si maior capituli pars Episcopum in doctum, auarum, concubinarium, alioque vitio infamem eligeret, minor pars cum ratione, & canonum auctoritate contradicet, & faciet electionem irritam.

Quod vero de iuramentis, ait periuria esse. Ille sensus est: Iurare in id quod contra canones est, aut iustitiam, tam est peccatum, quam periurium: nec magis seruandum quam periurium. Consultum itaque foret, omnium capitulorum iuramenta in Synodo prouinciali proponi & excuti, atque de iis confirmandis, vel abolendis constitui, nec venientibus noua sine publica auctoritate imponi. Deinde multos abusus mutua conuiuentia induxit, ut de distributione prouentuum, qui magni absentibus dantur qui-

busdam in Ecclesiis, ut queritur Concilium Moguntinum sub Sebastiano c. 70. Perniciosus abusus est, cum pudendo cleri dedecore, & animarum periculo, grauique ecclesiarum detrimento coniunctus, quod in ecclesiis quibusdam cathedralibus & collegiatis, potissima prouentuum portio canonicis etiam apud Ecclesias non residentibus, nec quicquam utilis aut necessarii ministerii exequendis distribuitur: vicariis, qui diurna & nocturna fatigatione omnes ecclesiarum functiones sustinent, vix tenui censu, & qui ad vitam misere sustentandā egre sufficiat, relicto. Hinc capitula & canonicos ecclesiarum in Domino exhortamur, ut aequitatis & rationis olim Deo reddenda memores, ad functiones ecclesiis suis necessarias, his qui eas gerunt, de fructibus ecclesiarum sufficientem & honestum victum deponent: ne causam prebeant, de ecclesiarum prouentibus necessario aliter disponendi.

Et sane Tridentinum nuper, & Deus ab aeterno aliter disposuit. Cuius hoc est: Qui non laborat, non manducet. Hanc ob causam tam multa rapit fiscus, miles, praedo, quia pro eo quod reliquum est, nondum satis laboratur, & laboranti minima portio distribuitur, non canonum iure, sed prauo contra canones abusu.

§. 5. Magna quoque & ordinaria potestas est Episcopi in capitulo, & capitulares omnes, eaque Apostolica. Ita Concil. Trident. Sess. 6. cap. 3. Ecclesiarum praelati ad corrigendum subditorum excessus prudenter ac diligenter intendant: & nemo secularis clericus, cuiusvis personae, vel regularis, extra monasterium degens, etiam sui ordinis priuilegiū praetextu tutus censetur, quo minus, si deliquerit, ab ordinario loci, tanquam super hoc à sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.

Episcopus in causa disciplinae legatus Apostolicus est.

Et c. 4. Capitula cathedralium, & aliarum maiorum ecclesiarum, illorumque persona, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, concordis, quae tantum ius obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minus à suis Episcopis, & aliis maioribus praelatis, per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis, iuxta canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apostolica, possint, & valeant.

Ea potestas nulla capitulatione tolli potest.

Nulla igitur exemptio ullum capitularem potest à correctione Episcopi tueri; omniaque in hunc finem statuta irrita sunt, quia contra ius; addo contra iustitiam. Nam Episcopus est etiam capitularium Episcopus, ut ceteri Cleri, & Laicorum; eidem igitur incumbit, vi sua in eos potestate; alioqui sine spiritali capite essent. Quod si forte praetendant se sub solo pontifice immediate esse, quemadmodum multi sunt; non tamen sic à iurisdictione Episcopi sunt exempti; nam ille legatus est pontificis, contra quem omnis exceptio, exemptioque inualida est. Itaque in capitulo etiam exempto morum censor est Episcopus; itaque rectissime statutum est in Concil. 3. Mediol. Quo facilius Episcopus in Ecclesia sibi commissā, & diuinum cultum augere, & canonicorum concordiam, mutuaque charitatem conseruare, & canonicam disciplinam tueri possit; singulis mensibus, aut saltem saepe in anno, canonicali capitulo interesse studeat, vel eo loco, ubi haberi solet, vel alio, quo illud ut ad se conuocare maluerit: conuocet autem cuiusvis rei causa, ob quam expedire iudicabit. Quo in capitulo aliquando videat, an qua de diuinorum officiorum cultu praescripta sunt, recte, rite, ordine, atque cum dignitate gerantur.

Episcopus in ipso capitulo de moribus agat.

Nec eximit exemptum; nam adiungit. Quod si capitulum exemptum sit, possit Episcopus ex decreto Concilii Tridentini, illud conuocare arbitrio suo, eo solo casu, quando ipse vult aliquid canonicis proponere in re, quae ad suum suorumue commodum non spectat, & tum in loco duntaxat, in quo antea solitum fuit capitulum conuenire.

Itaque exempto capitulo interesse, mores componere, corrigere malos, ea quae ad diuinum obsequium

quum pertinent, statuere potest, hoc enim non est agere de suis suorumue commodis, sed communi; nam ab exemptis capitulis fere dependet Ecclesiastica disciplina.

§. 6. Neque ad capitulationes, & pacta recurri potest; nam Episcopus ordinarius est iudex, & superior sui Cleri. Deinde quocunque modo exemptus Clericus præcepto concilii generalis subiicitur, quoad visitationem, correctionemque Episcopo, non ergo possunt ullis se pactis aut constitutionibus eximere.

Quod si ante electionem Episcopi omnes iuramentum præstent; *selektus fuero, iuro me nullum capitulum monitum, citatum, iudicatum, omnem illis libertatem permissum*: Iniquitatis est hoc iusiurandum; quia iurat se non functurum officio boni viri, nedum boni Episcopi. Possuntque omnes tale iuramentum exigentes, aut præstantes iure electionis priuari. Verum & de his plura, cum de Episcopis agendum est. Nam ex hoc abusu sequitur quoddam canonicos vix vllum superiorem agnoscere. Pontifex procul abest, à nunciis Apostolicis tuti sunt, Episcopum non curant, itaque nonnulli quos obedientiæ specimen præbere omnibus oportuit, suo penitus arbitrio viuunt, & quicquid libitum est, licitum putant. Hoc autem contrarius naturæ est.

CAPVT XIX.

Varii Ecclesiasticorum ordines.

Varij ordines. §. 1. **B**IFARIAM Ecclesiastici diuidi solent; Prima diuisio est quasi essentialis, ratione ordinis, sumpta ex ipso sacramento, vt sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, &c. Alii ratione officiorum, instituto vitæ, sine proximo; sic est Pontifex, Patriarchæ, Metropolitani, Archiepiscopi, Episcopi, Archipresbyteri, Archidiaconi, Canonici, Monachi, Sacellani, Vicarii, de singulis breuiter, quantum ad Ecclesiæ, & Reipublicæ corpus attinet, dicendum; disputationes enim Theologicæ alium locum postulant, vt & alium scopum habent.

§. 2. Septem ordines sacri in Ecclesia numerantur, sacerdotium, diaconatus, subdiaconatus, deinde minores ordines, Lectorum, Acoluthorum, exorcistarum, ostiariorum. Quos omnes esse vnum sacramentum genere, sed specie diuersum docet auctores; de minoribus nonnulli dubitarunt; Verum hæc Theologis & illis qui controuersias tractant considerata relinquo. Mihi de hisce agendum præctice, vt ad constituendam Rempubicam Ecclesiasticam conueniunt. Itaque de ordine Hierarchico præcipue quo gubernatur Ecclesia in foro externo vt vocant agamus. In eo primum locum tenet Episcopus, Episcoporum vero vna est ordinis potestas, sed varia in gubernatione, alii que aliis præfunt, vt Episcopis Archiepiscopi, his Patriarchæ, omnibus Pontifex eo modo & ordine, ea Reipublicæ utilitate, vt nihil mirabilius vnquam mundus aspexerit, nihil ad mores, & quietem Reipublicæ conuenientius.

De hoc igitur ordine dicamus.



CAPVT XX.

De Pontifice Romano.

§. 1. **D**E Pontifice Romano sine stomacho hæreticorum nemo Catholicus loqui potest; nec hoc nouum est, in eo vnitas Christiana neclitur, & fides fundatur, non vt in causa principe, sed vt vicario summi pastoris. Non tamen mirum esse debet, omni seclario nomen Pontificis esse odiosum, ipsam vero personam abominabilem, officium vero antichristianissimum; nam iam olim nemo veritati contradixit, qui non pontifici quoque inimicus fuerit; Nobis sane permirum est inter tot hæreseson centurias nullam fuisse, quæ non Romano se Papæ opposuerit. Ortum est hoc immane dissidium in mensa Domini, in qua Petrus feruentior Domini amator, de proditore seruatoris inquisiuit, & in orto fatellitem hostium aure truncavit, denique Simonem ipse damnavit. Hæreditarium odium omnium Christi inimicorum summo sacerdotio connexum est. Iam dudum sane vnum ex tot hæresiarchis quero, ex omnibus inquam à Capernaitis ipsis, vsque ad Vorfianorum nouissimos discipulos, qui non Pontifici, eiusque potestati fuerit inimicissimus. Quid mirum? Inter veritatis cathedram, & errorum subfellia, nunquam potest esse concordia. Nemo reus contumax iudicem suum amauit: non est nouum igitur Pontifices nostros omnium seclatarum odium sustinere, hæreticos, cum omnes eorum antecessores, martyres & confessores sui temporis hæreticorum calumniis, insidiis, armisque appetiti sint.

§. 2. Pontificiæ potestatis finis est, vt sub vno capite aspectabili, vicario Christi tota Ecclesia regatur, & schismatis tollatur occasio. Eam ob causam schisma in pontificis electione est omnino abominabile. Nam caput in quod mens & sensus Ecclesiæ conuenit sine perniciæ magna non scinditur. Hinc tot legibus cautum est, ne duo capita eligi videantur, dubiumque sit, cui parendum sit. Schismata omnia Deo iniusta, mortalibus exitiosa sunt. Chore, Darhan, Abiron terra dehiscens absorbit. Num. 19. Vestem scindere pontifici non licuit, Leuit. 10. Tunicam domini incofutilem ne miles quidem discidit. Primum schisma fuit, cum Episcopi tres Nouatianum clauderent, in Pontificem Romanum elegerunt, & ordinarunt. Ita in Epist. 48. & 52. Cypriani, & Cornelii ad Fabium, aut Flavianum Antiochenum: secuta sunt deinde alia, atque alia. Ingens illud fuit, & diuturnum; cum factione gentium diuersi eligerentur, cum Itali anno 1376. vt Blond. decret. 2. l. 10. Urbanum sextum Neapolitanum suæ nationis Pontificem; Galli Clementem septimum elegerunt, quod schisma post annos 39. in Concil. Constantiensi sublatum est. Quod si nullum vnum sit caput, nullus religionis magister, omnia dissidiis misceantur, omnes enim hæreses in cunis bella gesserunt, vt in libro de Synodo Evangelicorum, & pace Germaniæ, atque adeo Iubilo Iubilorum docui.

§. 3. Electio summi Pontificis vt pote à qua Ecclesiæ dependet salus, magnæ semper curæ fuit antistitibus, imo & principibus. Populus eligendi Pontificum & Episcoporum iure diuino potestatem non habet. Nam Christus ipse Apostolos elegit, ipse septuaginta discipulos constituit, Apostoli per diuersa loca Episcopos & presbyteros constituerunt. Populi munus est audire, & pasci, non ordinare præfides, idem constituit Concilium Nicenum, ne turbis permittatur facere electionem eorum, qui sunt ad sacerdotium promouendi. Ita can. 13. Nicenum. Verum hac de re sunt propositiones Bellarminianæ l. 1. c. 7. &

Kk 3 de

Omnis hæresis à Simone Mago vsque se Pontifici opposuit.

Vel hoc argumentum est nostros seclarios esse hæreticos.

Schismata ex multitudi- dine exorta.

Magna cura eligendus cui cura omnium committitur.